

nempe per modum habitus, careat; quia habet illam veluti in actu transeunti pro ea vice. Igitur ab Ecclesia et usus iurisdictionis et ipsa habitualis iurisdicatio dependet.

VII. Hoc ergo tanquam principium in hac materia teneatur: sententiam absolutionis, quemadmodum et retentionis, non nisi ab habente iurisdictionem proferri valide; nullum esse iudicium Sacramentale quod in non subditum feratur. Id certe statuit, ius divinum declarans, Synodus Lateranensis IV sub Innocentio III. cn. 21: « Omnis utriusque sexus fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno *proprio Sacerdoti*, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere... si quis autem *alieno Sacerdoti* voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio Sacerdote, *cum aliter ille ipsum non possit solvere et ligare.* » Proprius Sacerdos (1) est certe talis ut iurisdictione potiatur in poenitentem. Hinc Bonifacius VIII in 6<sup>o</sup> De Poenitentis et remissionibus c. 2. ait: « Nulla consuetudine potest introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare ».

Cf. et damnationem propositionis 37<sup>a</sup> Synodi Pistoriensis, in qua propositio asserens ad validum huius potestatis usum non esse necessariam iurisdictionem ordinariam vel delegatam, dicitur *falsa, erronea, Concilio Tridentino contraria*. Porro propositio falsa et erronea in materia fidei, contraria Concilio rem dogmaticam tradenti, est certe contra revelationem; ideo et tanquam haeretica haberi potest.

#### THESIS XVII.

*Iurisdictionem hanc ministris inferioribus concessam possunt iure suo limitibus coercere superiores Praelati, Romanus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopus pro sua Dioecesi, per casuum reservationem, quae est restrictio iurisdictionis in subditos, ita ut prorsus invalida reddatur absolutio.*

I. Reservatio casuum est limitatio iurisdictionis inferiorum ministrorum a superiore Praelato facta quoad aliqua peccata subditorum praelati superioris, qui sibi peccata reservat. Cum enim sit superioris

(1) De controversia exorta circa significationem huius termini complexi tractat Launoius in opere cui titulus: *Ecclesiae Traditio explicata circa Canonem: Omnis utriusque sexus*, qui tamen ipse solus non est legendus, sed adhibere oportet probatos Theologos e. g. Tournely De Sacram. Poenit. q. VI. a. 3. et Natalem Alex. Disp. IV. ad Sec. XIII.

conferre inferioribus iurisdictionem super alios, potest superior maiorem vel minorem potestatem conferre, potest datam revocare, minuire sicut et amplificare. Porro cum Episcopus e. g. casus reservat, is negat vel adimit suis inferioribus iurisdictionem quoad ea peccata, quorum proinde iudicium sibi reservat. Obiectum, circa quod limitatur iurisdicatio, sunt peccata: diximus autem peccata subditorum illius, cui reservantur peccata, sive reservantis, quod evidentissimum est. Qui enim reservat peccata, ipse vindicat sibi exclusis inferioribus potestatem absolvendi ab iis peccatis reservatis, atqui nemo potest absolvere nisi peccata suorum subditorum; ergo haec sola possunt reservari. Haec est generalis regula, ait Lugus Disp. XX, n. 9. « Eorum peccata posse reservari, qui subditi sunt reservanti ».

Adverte rursus cum Suarez Disp. XXXI, sect. 3, quod si habeatur ratio loquendi Concilii Tridentini, obiectum immediatum, circa quod tollitur iurisdicatio, sunt peccata potius quam personae; non enim ait Concilium *Sacerdotem nihil posse in personam habentem casus reservatos*, sed *nihil posse in casibus reservatis*. Nempe causae quaedam graviores, ut idem Tridentinum loquitur, reservantur iudicio superioris, et propter causas reservantur personae, quae iis sint obnoxiae, ita ut quoad illas causas alii Sacerdotes non sint iudices legitimi; neque proinde valeant absolvere personas eorum criminum reas.

Quaestio hac in re duplex fieri potest; prima, utrum reservatio valida sit, altera utrum sit licita.

II. Iam vero quaestio prima de validitate huc redit, utrum praelatis superioribus competat ius reservandi sibi absolutionem quorundam peccatorum. Porro de hac re nequit dubitari. Illud ius testatur et asserit Concilium Tridentinum Sess. XIV, cp. 7. tum Summo Pontifici pro universa Ecclesia, tum singulis Episcopis pro suis Dioecesibus. Ratio evidens est. Omnis enim iurisdicatio derivatur a Summo Pontifice in ceteros ordinariam potestatem habentes et ab Episcopis in presbyteros, et sine hac communicatione a Superiore facta, nulla est iurisdicatio inferioris. Est autem haec communicatio libera eademque est divisibilis, ut non opus sit totum concedere cum aliquid datur. Eo ipso vero quod nisi a superiore accipiatur iurisdicatio, ea nulla est in inferiore et ipse nihil facit si tentet absolvere, sequitur quod reservatio, quae est negatio ulterioris facultatis, valida sit, h. e. efficiat ut inferior possit nihil in reservata.

Ad alteram quaestionem quod spectat; ut usus talis iuris sit licitus, requiritur ut adsit ratio, quae hunc usum honestum reddat.

Atqui ratio non una praesto est, quas omnes hac una complexi sunt Patres Tridentini, nimirum *Christiani populi disciplina*. Sane ratio est ut deterreantur magis homines a quibusdam peccatis, cum eorum videant difficiliorem esse absolutionem, eamque a maiore Praelato petendam esse; ratio est etiam ut efficacior correptio certis peccatoribus adhibeatur, quam Praelatus superior, vel solus aliquando, vel facilius quam ceteri praestare potest, utque scandala et pericula animarum citius et securius amoveantur.

Hinc Theologi quidam cum Lugo Disp. XX, 7. 1. duplicem, ratione finis, distinguunt reservationem, poenalem nempe et medicinalem. Illa est, cum obligatio adeundi superiorem imponitur tanquam poena, ut ea poena deterreantur homines ab iis peccatis, quae reservantur; haec est cum obligatio adeundi superiorem imponitur ut idoneum magis et efficacius remedium peccatori post peccatum admissum adhiberi possit; atque de hac reservatione medicinali affirmat Lugo ibidem certum esse quod afficiat etiam ignorantes eam.

Itaque patet effectum reservationis esse irritationem actus ita ut ille Sacerdos, cuius per reservationem iurisdictio restricta est, ne dum illicite, sed prorsus invalide quoque absolutionem pronunciet. Et sane per reservationem negatur vel aufertur iurisdictio Sacerdoti quoad eas causas criminum, in quibus proinde non est legitimus iudex, neque superior quoad eas personas quae iis criminibus obligantur; sicut ergo sine iurisditione generatim Sacerdos invalide absolveret, ita invalide quoque iudicium agit et absolvit ab iis peccatis, quae sibi Praelatus superior reservavit. Haec est Doctrina Concilii Tridentini duo dicentis, 1) reservationem a Summo Pontifice et Episcopis factam non solum in externa politia, sed etiam coram Deo, ideoque in foro interno vim habere, 2) extra articulum mortis, pro quo tollitur omnis reservatio, Sacerdotes (quorum scilicet fuit iurisdictio per reservationem limitata) nihil posse in casibus reservatis, idque unum iis reliquum esse persuadere poenitentibus ut ad superiores et *legitimos* iudices pro beneficio absolutionis accedant. Itaque illi Sacerdotes possunt nihil, et nihil possunt quia non sunt *legitimi* iudices; atqui si absolutio eorum quamvis illicita valida esset, posset profecto plurimum, et essent adhuc legitimi iudices; horum enim tantummodo sententia valere potest. Et can. 44. decernit: « Si quis dixerit Episcopos non habere ius reservandi sibi casus nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat. A. S. » Res est ergo de Fide.

III. Testatur Tridentina Synodus reservationis usum antiquum

esse (1), seu sanctissimis Patribus nostris visum esse ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Et sane vel ex ipsa historia poenitentiae publicae id constat; liquet enim maiorum criminum, pro quibus poenitentia publica agenda erat, iudicium fuisse penes Episcopum, eiusdemque fuisse poenitentiam imponere feria IV. Cinerum, vel ad eum id spectasse quem sibi speciatim Episcopus substituerat, quique Presbyter poenitentiarius vocabatur, de quo Sozomenus L. VII, c. 16.

Ex his liquet merito proscriptam fuisse propositionem 44 Synodi Pistoriensis a Pio VI his verbis: « Propositio Synodi asserens *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem; falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.* »

« Item de spe, quam ostendit fore, *ut reformato rituali et ordine poenitentiae nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes;* prout attenta generalitate innuit, per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab Episcopo vel Synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare: propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et Summorum Pontificum auctoritati derogans et iniuriosa. »

Ex disputatis in his duobus capitibus evidenter consequitur Sacramentum Poenitentiae vere esse. Ad hoc enim ut Sacramentum proprie dictum aliquid sit, requiruntur tria: ritus exterior, eius in-

(1) Advertunt eruditi exercitium iuris reservationum romanarum ortum accepisse ab Episcoporum reverentia erga s. Sedem, quippe qui reos graviorum scelerum Romam mittendos censebant, ut sic terrentur magis, et difficiliorem sibi metuerent remissionem. Ita sane anno 1032 in Synodo Lemovicensi loquuntur Episcopi: « Si Episcopus parochianum suum cum testibus vel literis Apostolico ad poenitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis fieri solet reatibus, in quibus Episcopi ad dignam haesitant poenitentiam imponendam etc. » Hoc pacto Ivo Carnotensis Episcopus militem quemdam inauditi flagitii reum, postquam eum gravi poenitentia multasset, ad Apostolorum limina direxit « quatenus et fatigatione huius itineris peccatum suum diluat, et apud pietatis vestrae viscera misericordiam, quam Deus vobis inspiraverit, inveniat » ait idem ad Paschalem Pontificem epist. 135. Ita pariter se gerebat Laurentius Archiepiscopus Dublinensis (de quo Baronius ad annum 1179), qui omnes tam subdiaconos quam diaconos vel presbyteros, si incontinentiae convicti essent, licet tanquam Archiepiscopus posset, tamen nolebat absolvere, sed ad romanam Ecclesiam a summo Pontifice absolvendos destinabat.

stitutio divina et efficacia gratiae. Atqui ritus exterior est tum subiectio poenitentis, tum absolutio Sacerdotis: institutio Christi patet ex potestate ab eo facta remittendi peccata, quae institutio perpetua est ut hic ritus semper in Ecclesia esse debeat, efficacia gratiae competit huic ritui, quia peccata vere remittuntur; remissio autem peccatorum fit per infusionem gratiae: ergo.

Itaque non opus est nova thesi ut id demonstramus; nec ulla est difficultas praeter eas, quas iam solvimus.

### CAPUT III.

#### DE EFFECTIBUS POENITENTIAE.

Postquam s. Thomas de natura Poenitentiae virtutis et sacramenti disseruit, de eiusdem effectibus instituit disputationem. Quoniam quae in qq. traduntur a s. Doctore pulcra sunt et maxime utilia, scituque identidem necessaria, ea nobis praeterire haud licet. Non autem omnia explicabimus, sed potiora: nec omnia more thesium pertractabimus, quod subinde molestum minusque idoneum foret, sed vel commentarios simplices vel theses subiiciemus.

(q. LXXXVI.)

#### COMMENTARIUS.

I. Articulus 2<sup>um</sup> huius q. iam explicavimus Th. VII.

In articulo 3<sup>o</sup> quaerit s. Thomas an per poenitentiam possit remitti unum peccatum sine alio.

Quaestio haec est de potentia Dei ordinaria, quod sane significatur a tertio argumento, quod adhibet s. Doctor. Et re quidem vera si de potentia absoluta sermo esset, quoniam posset remittere Deus peccatum sine infusione gratiae et vel nullum exigere a peccatore actum, vel contentus esse aliquo imperfecto actu contritionis, qui posset se extendere identidem ad quaedam peccata tantum, ut attritio ex motivo speciali alicuius virtutis, posset Deus unum peccatum mortale remittere sine alio, sicut reapse nunc remittit unum veniale sine alio.

Si autem sermo sit de potentia ordinaria, seu si loquamur de eo Providentiae ordine, in quo versamur: optimae sunt primae duae rationes s. Thomae ad probandam impossibilitatem remissionis unius peccati sine alio. Nam remissio nunc formaliter fit infusione gratiae

habitualis, haec porro repugnat cum quovis peccato, quia quodcumque peccatum eam excludit, ergo omnia per eam remitti oportet. Nec potest Dei esse amicus, filius adoptivus et heres regni, qualis per gratiam habitualement constituitur, qui vel unius adhuc peccati mortalis reus sit. Rursus dispositio necessaria ad remissionem est poenitentia. Porro vel remissio fit sine Sacramento, et poenitentia tunc debet esse ex motivo universali, quo detestetur quaecumque peccata, debet nempe esse ex amore Dei; vel remissio fit per Sacramentum quod peccatum remittit infundendo gratiam, et tunc ipsa dispositio, licet sit sola attritio, cum effectui formali debeat esse proportionata, debet se extendere ad omnia peccata. Cf. Suarez D. X. S. 4.

Vides, quod spectat ad vim argumenti primi, supponere nos id quod probavimus in Tract. De Gratia habit. gratiam nempe habitualement sanctificare et remittere peccata per se absque novo favore. Quando autem excluditur novus favor, excluditur id, sine quo potest esse infusio gratiae habitualis, non vero id quod in ipsa infusione gratiae necessario continetur. Iam vero infusio gratiae includit necessarium remissionem peccati; nam infusio gratiae est effectus divinae voluntatis efficientis et acceptantis aliquem in amicum, filium et heredem; atqui qui efficitur amicus, non manet inimicus, cui amicitia rursus donatur, offensa remittitur. Haec videntur satis clara.

II. Nihilominus non defuere Theologi, qui contenderent de potentia absoluta posse gratiam sanctificantem, qua efficimur filii Dei adoptivi, consortes divinae naturae, consistere in anima cum peccato mortali. De potentia, inquam, absoluta; nam de potentia ordinaria id negant, conceduntque modo semper remitti peccata per infusionem gratiae sanctificantis. Inter hos Suarez De gratia L. VII, c. 2. docet « gratiam habitualement, quae in substantia animae est (quam ipse distinguit ab habitu caritatis) et hominem quasi essentialiter sanctificat, intrinsece et ex natura sua constituere hominem filium Dei adoptivum ». Et c. 4. docet « impossibile esse formam gratiae inhaerere animae, et non constituere illam participem divinae naturae, et quantum est ex se dignam beatitudine, et dilectione divina, imo et amicitia ». Addit tamen « gratiam posse inhaerere animae, et non reddere hominem acceptum ad beatitudinem et amicitiam perfectam », quatenus nimirum, ut ipse ait, « acceptatio actualis, ut sic dicam huius hominis ad beatitudinem (idem dicendum de amicitia) est actus liber Dei, qui non habet necessariam connexionem cum illa qualitate; quia licet intrinsece constituat hominem acceptabilem, non tamen id necessario sequitur ut acceptetur. Unde haec actualis acceptatio non pertinet ad intrinsecum effectum formalem illius qualitatis; potest ergo separari ab illa ». Negat tamen huiusmodi acceptationem « esse